

*simul aperto in coitu miscetur; quae verba sunt Fulgentii L. II. c. 4. Poenam igitur talionis hic luit, qui eodem modo non pauca transcripsit ex Hygino. Unde cetera sua corraferit Noster Fulgentio in Graecis haud felicior, ignoro. Interim fortasse tamen meruisset ab August. van Staveren Auctorib. Mythographis lat. Lugd. Bat. 1742. 4. addi.*

## CCLXXXI.

R. 60 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 208. f. perquam nitide scriptus, etiam si Graeca spectes, purpura distinctus, et litera cujusque Libri prima eleganter deaurata et picturata complectitur L. Caecil. Firm. Lactantii Divinarum Institutionum Libros VII. praecedentibus de Autore judiciis Augustini et Hieronymi, et praefixo fingulis Libris Capitum Elencho, nec non adstituta in margine locorum graecorum interpretatione, et quibusdam observationibus, ut adeo adparatu pluribus Editionibus non inferior. Titulus purpureus L. I. sic habet: *L. Coelij Firmiani Lactantii Divinarum Institutionum Liber Primus. Initium: Magno et excellenti ingenio viri cum se doctring &c. Ita et reliqui Libri usque ad VII. finem: quod ipse promisit a Domino consequamur; cum Edit. Paris. 1748. 4. etiam lectione plurimum conspirant, nisi quod Graeca quibusdam locis minus sana sunt. In Praef. ubi Edita habent: Erant illi quidem veritatis cognitione dignissimi, legit*

Noster a prima manu: *Erant quidam illius veritatis &c. non prorsus ἀλογος; neque tamen in amplissimis licet curis Brunii et Lengletii varietatem hanc inveni. Codicem Florentiae in elegantissimorum Sec. XV. Απογεῶρων Patria exaratum fuisse et manus suadet, et, qui p. 1. notatus est, Possessor Julius Landus, cujus fol. 3. etiam comparent Insignia. Quis vero is duorum Juliorum sit, quorum J. B. Donius in Libraria sua Venet. 1580. p. 24. 12. meminit, illene, quem familiarem Hippolyti Medicis Card. et Scriptorem della Formaggiata et Vita d' Esopo facit, an Comes ille, quem delle Attioni morali tractasse testatur, ignoro.*

## CCLXXXII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. R. 66 Folior. 78. 4. min. currente calamo, sed sat nitido scriptus, manu Felicis Feliciani Veronensis, ut habes fol. 41. primis utriusque Tractatus paginis caractere unciali diversicolore exaratis, et a. 1642. emtus a Christoph. Corrado Senicensi continet: I. L. Caecil. Firm. Lactantii Librum de Ira Dei ad Donatum. Praeit Elenchus Capp. XXIII. Initium est: *Animadverti saepe Donate plurimos id existimare &c. Finis: et nunquam vereamur iratum. Textus sat correctus; diversam saltem lectionem jam Editores Parisini 1748. T. II. adnotarunt. Loca graecorum Autorum latina solum versione minio scripta repraesentantur; C. tamen*